













1429 Chassanion (Jean). De | Gigantibvs, | Eorvmqve Re- | Liqviis. | Ac De His Hominibvs. | qui prodigiosis viribus ad Gigantûm | naturam proximè videntur | accedere. | vbi etiam | Ioan. Goropij error perstringitur, qui in sua Gigan- | tomachia nulla Gigantum corpora tanta, | quanta dicuntur fuiste, affirmat. | A. Ioan. Cassanione Monostroliensi. *Printer's mark.* Spirae | Typis Bernardi Albini, | An, CIƆ.IƆ.LXXXVII. *8vo.* 4 *ll.* + 80 *pp.* *Printed on very bad paper; bds.* *Speyer*, 1587. 10*s.*

RARE. Brunet, I 1817; Graesse, II 125.

Jean Chassanion, French writer; fl. end of 16th cent., and wrote a history of the Albigenses.

PC 29 2 a 222

DE GIGANTIBVS, EORVMQVE RELIQVIIS.

AC DE HIS HOMINIBVS, qui prodigiosis viribus ad Gigantûm naturam proximè videntur accedere.

ubi etiam


Ioan. Goropij error perstringitur, qui in sua Gigantomachia nulla Gigantum corpora tanta, quanta dicuntur fuisse, affirmat.

A. IOAN. CASSANIONE Monostroliensi.



B D

SPIRÆ
Typis Bernardi Albini.
An. CIↃ. IↃ. LXXXVII.





LLVSTRISSIMO RINCIPI ET DOMINO . FRIDERICO IIII. PALATINO

Comiti ad Rhenum, Electoralis Palatinatus hæredi, Bauariæ Duci,

Gratiam & pacem à Domino Iesu Christo.



O ninſcitè illud à Platone dictũ eſt, Princeps Illuſtriſſime, meliores eſſe naturas nobili n genere quàm ignobili, & bene atos ſi bene etiam educantur, ad irtutem peruenire: eaq́ue de cau a Lacedemoniorum & Perſarum eges Athenienſium regibus tum



educatione, tum generis dignitate lõgè excellere. Quæ duo quum in T. C. Illustrissime Princeps, cõspicua appareãt, nemini dubium esse debet, quin prout præclarè & sanctè institueris, eiusmodi euadas, qualem decet verum Principem, omni virtutum genere instructũ & ornatum, qui aui tui Friderici III. Illustrissimi Principis beatæ & nunquam intermoriturae memoriæ (quem meritò totius Germaniæ Phœnicẽ appellare possumus) pietatem & sanctimoniam referas & repræsentes: tuique patrui D. Ioã. Casimiri Illustrissimi Principis & fortissimi religiosissimiq; herois (qui tibi parẽtis loco est) vestigiis cõstantissimè insistas. Quæ tua enim est virtutis indoles (cuius authorẽ Deum esse, vt bonorum omniũ agnoscimus) id nos sperare iubet. Quamobrem te omnes diligunt, tui sunt quàm studiosissimi, tuoque conspectu frui gestiunt, ac Celsitudini tuæ singuli bene precan-

cantur, quam itidem suspiciunt & reuerentur. Ex quorum numero quum me vnum esse profitear, scriptionem hanc T.C offerre volui, vt meæ in te obseruantiæ aliquod extet indicium & μνημόσυνον. Quod munusculū licet tenue atque exiguum sit, non tamē aspernaturum te illud esse confido, qua benignitate prędit us es, Minutum quidem & paruum, quod de meo est, rei tamen argumentum non item. Neque enim minimum censeri potest, quod de tam magnis ac quàm maximis viris, maximis, inquam, corporum viribus ac mole narratur, quod non ex Poetarum figmentis, sed ex sacris historiis, & ex aliis literarum monumentis haud dubiæ fidei depromptū est. Qua de re tametsi multa apud historicos reperiantur: nullus tamen ex tanto scriptorum numero adhuc inuentus est, qui istiusmodi historiam ex professo cōtexuerit, Extat quidem inter Philonis lu-

dæi opuscula libellus quidam de Gigantibus inscriptus: sed qui præter titulum nihil prorsus de Gigãtibus habeat. Erit ergo hæc rerum licet veterum veluti noua quædã narratio, quam nec omninò infructuosam, nec T.C. iniucundam (si placet legere) fore arbitror.

Perge tu interea, Illustrissime Princeps, veræ pietati studere, totum te ad Dei obsequium tradere, animũq́ue tuũ bonis moribus informare, vt iis qui tibi subiecti sunt, exẽplo sis omnis moderationis, innocentiæ, & pietatis. Quod vt assequaris, Deũ opt. max. (à quo bona omnia profluunt) enixè precor, vt Tuę Celsitudini indies magis ac magis benedicat, eam tueatur atq; incolumẽ seruet, eximiisq́; Spirit⁹ sui donis p̱ Dominũ Iesum Seruatorẽ nostrũ adaugeat atq; exornet cumulatissimè. Heidelbergæ.

T.C.

Seruus studiosissimus
Ioannes Cassanio.



IOAN. IACOBVS BOISSARDUS *Vesundinus ad lectorem.*

LEctor, in hoc auctor non illa volumine narrat,
  Fabula quæ vano carmine prisca notat.
Non hic centimanos disces, non corpora quorum
  Fama est Phlægræis esse cremata rogis.
Nec vastis Siculam sudasse Gigantibus Æthnam,
  Fulminaq; irato confabricasse Ioui.
Non quas ore ferunt vomuisse Typhoea flammas,
  Nec motam Enceladi robore Trinacriam,
Illa alij doceant: quæ isto sunt tradita libro,
  Nil ficti, atq; leuis futilitatis habent.
Prodigiosa quidem, sed quæ sunt vera videbis,
  Comperta atq; bona quæ ratione citat.
Non minimum peccant, crassa ignorantia quorum
  Admittenda, oculis non nisi visa, putat.
Nec minor error in his, qui audēt cōmittere scripto
  Plurima, apud multos non habitura fidem.
In quibus, vt rectum possis discernere, doctum
  Hoc tibi præstabit Cassanionis opus.

CAPITVM HVIVS OPVSCVLI Elenchus.

DE

DE

GIGANTIBVS, EORVMQVE RE-liquiis,

AC DE IIS HOMINIBVS, qui prodigiosis viribus ad Gigantum naturam proximè videntur accedere.

Quod Gigantes ante diluuium fuerint: vbi de ipsius nominis notatione, deque eorum origine agitur.

CAP. I.



A est quorundã hominũ innata stoliditas & pertinacia, vt non nisi quæ ante pedes modò sunt, eorumque oculis obuersantur, vel

vulgò iactantur, lippis (vt dici so-
let) & tonsoribus nota, ea tantùm
reuerà esse credant: quibus si quid
de occultis naturæ viribus de inau
ditis exterarum gētium moribus,
deque admirandis quibusdā pris-
corū operibus fortè narratur. som
nia & fabulas esse suspicantur, qua-
les Homerus de Cētauris & hydra
prodidit. Nam quæ de latitudine
& ambitu mæniorum Babylonis,
de AEgytiis pyramidibus, ex septē
orbis miraculis, deq; immanibus
illis columniis, quas obelisquos ap
pellant, narrari solent, conficta es-
se nonnulli existimant, quum ta-
men & multis literarū monumen
tis, & rebus quibusdam adhuc ex-
tantibus ipsa veritas abundè sit cō
testata. Nam & Babylone, quę nūc
Bagadat appellatur, supersunt ad-
huc non obscura quædam vetusti
illius muri vestigia. In AEgypto
quoque visuntur hodie antiquę il-
lę suspiciendæque pyramides. Et
Romæ

Romæ cernere licet duos ingẽtes obeliscos, quorũ vnus in duas aut plures partes ruptus in vico quodã conspicitur, alter perstat in angulo erectus, ad fanum quod in Vaticano situm est. Vnde constat, non omnia quæ à priscis accepta hominum fidem superare videtur, protinus explodenda esse. Cuiusmodi sunt illa, quæ de Gigantibus constanti fama multorumq; sermone hactenus celebrata sunt. Tametsi enim incredibile videri potest, homines quondam extitisse tam sublimis ac excelsæ staturæ, quãta nusquam hodie appareat; fuisse tamẽ nemini dubium esse debet, de quibus tota antiquitas tam multa testata est. Ac quãuis Cyrillus Grę- Lib. 9. cont. Iul. corum poetas rectè in eo improbet, quòd tantis viribus præditos fuisse Gigantes aiunt, vt & insulas ex medio mari raperent atq; in cœlum proiicerent; verissimũ tamen istud est, quod ipse continuò diffi-

tetut, altiorem ſcilicet Gigantûm quàm aliorum hominum menſuram fuiſſe. Id cùm in tranſcurſu atque attigerit vir ille grauioribus rebus diſtrictus, non mirum eſt, hoc ita ei excidiſſe. Vnde autem venerit in mentẽ Ioanni Goropio vulgatam tot ſeculis Giganteorum corporũ magnitudinem tam audacter pernegare, penitus ignoro. Hoc molitur in ſua Gigantomacia, quam aliquot antè annis edidit. In qua cum pura religione (à qua eum defeciſſe iamdiu audio) omnem veritatem extinguere conatur, vt verè videatur ipſe omni modo γιγαντομαχεῖν. Contra quem pugnare tametſi periculoſiſſimum videatur, quippe qui Gigantes omnes funditus ſe deleuiſſe putat, ac tanquam Iupiter quidam alterum ſe Herculem creaſſe ſomniat: ſola tamen ſimplex eorum, quæ hic exponentur, narratio, ad tantum bellatorem ſubigen-

igendum sufficiet: vt firmioribus argumentis minimè opus sit, quibus insolitæ altitudinis quosdam præ reliquis fuisse probetur.

Qua de re ne quis ambigat, proferenda sunt nobis ex sacris literis testimonia, quæ rem ipsam planè confirment. Ac primùm Moses cũ de corrupto deprauatoque ante diluuium orbe mentionẽ facit, narrat tunc temporis fuisse Gigantes, eosque à seculo & ab omni memoria nominis celebritate excelluisse. de quorũ pceritate, licet nullũ ibi sermonem habeat, ex iis tamen quæ de eodem hominum genere alibi ipse refert, perspicuũ fit, hosce homines aliis multò maiores ac robustiores fuisse, adeò vt conspicientibus metum ac terrorem incuterent. Atque inde ducta videtur nominis apud Hebræos etymologia, quòd suo Gigantes aspectu alios prosternerẽt. nam *nephalim* à cadendo deductum est. Quã- Gen. 6.

quam ſuat, qui aliunde verbi no-
tationem deriuent *Heemim* etiam
& *Rephaim* appellatos fuiſſe con-
ſtat, quòd videntibus terrori eſſent.
Ridiculum autem eſt, quod hic de
ſuo cōminiſcitur Goropius. Poſt-
quam enim quorundam Rabino-
rum ſuper hac re ſententias recen-
ſuit, ſuam etiam profert, qua quod
in aliis Gigantes efficere plerique
interpretantur, hoc in ipſis Gigan
tibus fieri contendit: egregiam ſci-
licet nactus allegoriam, cadentes
eos reuera inquiens, propterea
quòd à mente & ſpiritu ad terram
& ſanguinē (vt ipſe loquitur) pro-
lapſi fuerint. Secus æſtimare licet
ex verbis eorum, qui ad Gigātum
aſpectum animis ſe concidiſſe te-
ſtantur, Numer 13. Græci Gigātes
dici volunt ἀπὸ τοῦ γάμμ, quod eſt
magnis diuaricatiſque paſſibus in-
cedere, vel ἀπὸ τοῦ γίγνεσθαι ἐκ τῆς γῆς.
quod eſt è terra naſci, iuxta Poeta-
rum figmenta, vnde terrę filij dicti
ſunt,

sunt, terrigenæq; vocantur à Lucano, vt monstrosum ortum sortiti. Ex quibus omnibus palam fit, procerę admodũ staturæ homines vel ipso nomine significari.

Quænã verò fuerit illorum origo, nõ tradit Moses, tantùm enim ait, Gigantes fuisse in terra in diebus illis. Continuò tamẽ subiicit, à filiis Dei & filiabus hominum etiam progenitos fuisse Gigantes: haud obscurè innuens, tale hominum genus iam antea extitisse. Verùm qui fuerint filij Dei, non intellexerunt omnes: Atque inde grauiter post Iosephum hallucinati sunt Lactantius & Eusebius, quod putarint Angelos quosdam cum mulieribus concubuisse, ex quib. non alij, quàm dæmones nascerentur. Quem errorem eleganter refellit Chrysostomus inquiens filios Dei dici, qui à Setho originem traxerant. Qui (vt sentit etiam Augustinus) quũ in legitimo Dei cultu

antea permansissent, eosque Deus adoptionis beneficio pro filiis suis agnosceret, carnis tandem illecebris allecti, filias eorũ qui iam à vera pietate desciuerãt, in matrimonium duxerunt. vnde quum monstrosi homines immanibus corporibus, incredibilique ac stupendo robore nati sint, quàm minimè accepta sibi fuerint huiusmodi coniugia, testatum voluit Dominus: Talem procreationem innuere videntur Orpheus & Hesiodus, cùm Gigantes cœli terræque filios esse tradunt. Nam & Orpheum, quem Hebræos quosdam sacerdotes sub Iudicibus audisse fama est, sic cecinisse ferunt:

οὓς καλέουσι γίγαντας ἐπώνυμον ἐν μακάρεσσι,
οὕνεκα γῆς ἐγένοντο καὶ αἵματος οὐρανίοιο.

Qui versus sic reddi possunt:

Nomine cœlicolas illos dixere Gigantes,


Ortĕ

Orti quòd terra fuerint & sanguine cæli.

Potentes isti magnique nominis viri fuisse memorantur, non qui vel aliquo ingenij acumine, aut sapientia, vitæúe integritate & sanctimonia excellerent: sed qui viribus corporis & fortitudine reliquos mortales longè præcederẽt. qua ex re cùm altos spiritus induissent, immodicamque sumpsissent arrogantiam, haud dubiũ est, quin alios quos despectui habebant, rapinis, latrociniis cædibusque infestarint, passimque violenter & tyrannicè pro libidine grassati sint. Id subindicat Moses, cũ paulò pòst subiicit, corruptam fuisse terram, eamque iniquitate repletam. Quibus verbis intelligit, tantos ea tempestate fuisse morum corruptelas, vt omne vitiositatis nequitiæque genus vbique regnaret. Quum autem ex robore & potentia qua isti pollebant nominis celebritatẽ

adepti ſint, in eo animaduertere li-
cet, qualis fuerit prima mundi no-
bilitas vulgò æſtimata, nõ quæ pie-
tatis, iuſtitiæ, aliúſve cuiuſdam vir-
tutis ſpecie & pulchritudine illu-
ſtris appareret: ſed quæ ſolius po-
tentiæ fortitudinisque titulo ſeſe
efferret. Nam qui tum cæteris va-
lẽtiores robuſtioresque erant, iiſ-
que vim audacter inferebant, præ-
ſtantiores ſe ex eo ac nobiliores eſ-
ſe gloriabãtur: vnde fortaſſis iſtud
inualuit, vt gentilitia quorundam
inſignia non niſi crudelium bel-
luarum, rapaciumque ferarum &
volucrium habeant imaginem.
Quum igitur maleficum eſſet i-
ſtud genus hominum, ex eo credi-
bile eſt, à Poetis anguipedes & ſer-
pentigenas appellatos eos fuiſſe,
quod ſcilicet nihil rectum nec ſyn-
cerum cogitarent, omnibusq; ter-
rori eſſent & noxij.

Gigantes



GIGANTES POST DIluuium etiam Abrahami tempore.

CAP. II.

HOs quantumlibet vastos horrida illa vniuersalis diluuij tempestas quę Noachi ætate seuerissimo ac iustissimo Dei iudicio accidit, cũ reliquis mortalibus (ipso Noacho cum suis excepto) cæterisque animantibus penitus obruit atq; deleuit. Nec tamen postea istud hominum genus desiit. Extitit enim non multo tempore post ex infausta Chami prosapia magnus ille Nimrod, qui primus omnium post supra dictam illam inundationem inter mortales potens & fortis euasisse memoratur, cuius potentia & robur in eo se exeruit, quod Gen. 10.

venationi impendio addictior esset. Qua ratione non simpliciter venator, sed potens venator fuisse dicitur, qui feras summis viribus persequeretur & cōfoderet, adeò vt in hac opera & labore excelleret, quo nomine etiam potens venator coram Iehoua prædicatur κατ᾽ ἐξοχὴν, qui cum nullus hac in re conferendus esset. Quumque eiusmodi prædæ & lanienæ assueuisset, haud dubium est, quin eandem vim in homines imbecilliores expertus fuerit, eosq; rapinis, latrociniis, & cædibus infestarit. Vnde est, quod qui aliorum bonis aut vita insidiantur, vel tyrannidē exercent, venatores in Scriptura appellentur vt Psal. 91.3. & 124.7. & Ierem. 16.16. & Lamēt. 3.52. Quo circa etiam Plato in Sophista, & 7. de leg. inter venationis genera connumerat, non solum quæ beluarū terrestrium, aut volucrium, aut aquatilium est, sed etiam quæ cicu-

torum

rorum est animalium & hominũ, quum scilicet vel in seruitutem rediguntur, vel tyrãnicè opprimuntur, aut bello infestantur, prędæúe expositi sunt. hæc omnia venationes esse dicit, quemadmodum & Aristoteles latrociniũ venationẽ appellat. Talem igitur quũ se præstiterit Nimrod, etiam prouerbio locum dedisse, cùm de aliquo qui violenter se gerit, ac per insolentiã viribus suis abutitur in aliorũ detrimentum & perniciem, dicitur, Sicut Nimrod potens venator coram Iehoua. quod in eum competit, qui insignis est latro & tyrãnus, Nimrodo simillimus, cuius potentia quum ingens & celebris admodum fuerit, argumento est præcipuam ipsum in ædificanda vrbe & turri illa Babelis operam impẽdisse. Nam & in Babele regni eius initium fuisse dicitur, vt etiã in Erecco Accado & Calne regionis Schinaris. Atque hoc primũ fuit à con-

dito orbe regnum, quod nõ æquitate, nec sapientia, nec moderatione institutum & fundatum, sed potius per vim & iniuriam statu minatum fuisse apparet: cõtrà quam de prima regum constitutione de leg. 3. tradiderunt Cicero & Iustinus, & post eos Augustinus de Ciuit. Dei lib. 4. cap. 6. Nec dubium quin graue imperium atque adeò tyrannidem istiusmodi homines in alios exercuerint. Ea enim est hominum ad malum propensio, vt quò magis viribus ac potẽtia cæteris antecellunt, eò magis se supra eos extollentes deprimere & conculcare nitantur.

Sequuti sunt postea innumeri alij Gigantes, ex quibus ij fuerũt, quos Chodorlaomor rex Elam, tresque alij qui cum eo erãt reges, profligarũt: eo nimirum tempore, quo etiam ab ipsis quatuor, quinque alij reges Sedom videlicet, Amorah, Adama, Seboim & Bela

Gen 14.

cæsi

cæsi sunt. Victores istos quum A-
braham exiguis admodum copiis,
vtpote seruuorum octodecim tan
tùm & trecentorum postmodum
fuderit, quàm mira & insignis fue-
rit hæc victoria, nemo non videt.
Eodem spectat, quod alibi Moses Deut. 2.
commemorat, populū magnum
& excelsum, sicut Anacim, habitas
se quondam in terra Moab & Am-
mon terra Gigantum: quibus ex-
pulsis, profligatis ac omnino dele-
tis vacuas sedes filiis Lot concessit
Dominus. De Emoreis, tantę pro-
ceritatis gentem fuisse, compertū
est. vt eam cum cedris comparare
Amos non dubitarit. Quod licet
dictum videri possit καθ᾽ ὑπερβολὴν,
non temerè tamen ita loquu-
tum fuisse Prophetam
certissimum
est.



GIGANTES TEMPORE Mosis.

CAP. III.

QVantus fuerit Og rex Basan, qui cõtra Israelem arma ferens, ei cũ valida manu in itinere occurrit, ex eius lecto coniicere licet: qui quum ferreus esset, nouẽ cubitorum longitudinem habuit. Quam coniecturã vt eleuet noster γιγαντόμαχος, aliam ex hodiernorum lectorum structurã inducit: vt verisimile efficiat, huius regis staturam septẽ fermè cubitorũ fuisse. In quo non parùm hallucinatur, cùm lectos quales hodie extruuntur, duobus pedibus longiores fieri affirmat, quàm sit iusta ac communis hominum magnitudo. Istud enim si verum est, relinquetur

tur hominibus etiã procerioribus quatuor tantùm pedum magnitudo: quandoquidem non alia lectis longitudo tribuitur, quàm sex pedum, quos regios appellãt. hoc respondebit quiuis faber lignarius, si de eo rogetur, nisi fortè aliter in Gallia, aliter in Flãdria, seu Belgio, quæ istius est (vt opinor) patria, cõficiuntur lecti ad quam nos hic homo staturam sua coniectura redigit? Sed detur, quod ipse pro cõfesso sumit: an protinus sequitur, si duobus pedibus hominum altitudinem nostrorum lectorum longitudo superat, Ogi regis lectũ duobus etiam cubitis eius magnitudinem excedere? Iam verò quæ tanta esse potuerũt ceruicalia aut culcitra, quibus à summo illius capite supernè, aut ab imis pedibus infernè, duorum cubitorũ spatio (vt ipse fingit) fuerit opus? Concedamus autem. quod ipse vult, nempe illius magnitudinem ferè septem

cubitos habuiſſe: an nõ inſolita eſt atque mira hæc hominis proceritas? an non Gigantea huiuſcemodi magnitudo cenſebitur? Eam ob cauſam Moſes Sacræ hiſtoriæ ſcriptor, Ogum regem dicit ex reliquis Gigantibus ſolum remanſiſſe: cuius altitudinem vt oſtendat ingentem ac mirabilem fuiſſe, mirabili lõgitudine lectum eius producit inquiens, Ecce lectus eius, lectus ferreus: nonne eſt in Rabbath filiorum Ammon? nouem cubitorum longitudo eius, & quatuor cubitorum latitudo eius, ad cubitum hominis. Quæ ideo commemorantur, vt magis appareat, quantùm ſuis Dominus adfuerit, cuius virtute tantus hoſtis ab ipſis cæſus eſt.

Cæterùm tantæ molis homines ijſdem tẽporibus in regione Chanaan viſi ſunt, vt formidabiles omnibus eſſent, omneſque aſpectu ſuo terrerent ac propemodum exani-

nimarent. Cuius rei indicium est, quod ab exploratoribus Israelitis in cætu relatum fuisse legimus: viros se vidisse in terra Chanaan Num. 13.
procera statura: Gigantes etiam ac filios Anacim ex stirpe Gigantum: præ magnitudine quorum sibi viderentur ipsi tantum esse locustæ. Qua ratione populum à spe terræ promissæ auertere isti (excepto Chaleb & Iehosua) conati sunt. Sed valuit firma ac constans Dei promissio, qua effectum est, vt cæsis, fusis, regionis vniuersę incolis, per manum Iehosuæ in montibus Hebron, Dabir, Anab, ac in omni Iosu. 11.
monte Iehuda & Israel profligati & deleti fuerint omnes Anacim, idest, Gigantes omnes, ijs exceptis, quos Asdod & Gath relictos habuerũt. Quid hic Goropius dicet? Etiamne ad hæc quicquam respondere, aut omnino hiscere audebit, quum audiat, non vnum aut alterum, sed quam plurimos Chana-

næos Gigantum filios excelsæ admodum ac stupendæ fuisse staturæ? Hæc quum inficiari non possit, infirmare tamen quodammodo conatur, cùm affirmat, tales homines, talia tum fuisse monstra, qualia nostris temporibus aliquando conspiciuntur. At magnum est discrimen inter illos omnes, quos ipse monstra appellat, & quę vulgò monstra vocitantur. Illi enim nec rari fuere, vt mõstra esse solẽt, nec vno tantùm seculo aut altero visi sunt: sed ferè inde ab initio mundi ad Dauidis vsque tempora propagatum id genus hominum extitit, magnitudine prorsus admiranda: hæc verò quàm rarissimè, ex nulla parentum traduce, multò vetustis illis minora visuntur.

GI-



GIGANTES AETATE *Dauidis.*

CAP. IV.

MEmoratur Goliath Philisthæus, oriundus ex oppido Gath, corporis sui magnitudine atque robore adeò fuisse fretus, vt procedens in aciem quemuis ex Israelitis ad pugnam prouocare ausus sit. Eius enim altitudo fuit sex cubitorum cum palmo. Loricam habuit quinque milia siclorum æris pendentem lanceam verò instar iugi textorij, cuius ferrum sexcentorũ fuit siclorum. Hîc quum Israelitico exercitui audacter insultaret, omnibusq; esset formidabilis: vno tamen lapide ab Dauide adolescẽtulo in fronte percussus interijt. Regnante etiamnũ Dauide, quum Israelitæ aduersus Philisthæos bel-

1. Sam. 17.

2. Sam. 21.

lum gererent, alter fuisse narratur Goliath Gethæus, tresque alij Gigantes proceræ staturæ: quos nihilominus quantumlibet fortes atq; audaces Dauidis milites in prælio obtruncarunt. vni ex his cuiusque manus, cuiusque pedis digiti seni fuisse feruntur. Vir insuper quidam Aegyptius statura cubitorum
1. Chro. 11. quinque fuisse dicitur, quem vnus ex Dauidis militibus Benaia nomine, vir fortissimus interemit. Porrò tam vulgatum fuit in populo Dei, quod de Gigantibus traditur, vt etiam Prophetæ cùm fideles de inuicta Dei potentia & fortitudine bene sperare iubent, Giganti Deũ comparent,



[G]IGANTEI GENERIS HOmines apud varias gentes Xerxe, Alexandro, Augusto aliisq; nonnullis principibus.

CAP. V.

VLTRA maritimam Aethiopiam insulas in oceano meridiem versus repertas esse tradit Diodorus Siculus, quarũ incolæ magnitudine alios homines quatuor cubitis excederent. Lib. 3.

De Gallo quodam ea refert Livius, quæ non multùm ab ijs quæ de Goliath enarrata sunt, differre videntur. Virum enim ait, eximia corporis magnitudine in vacuum pontem processisse, cùm Galli trãs pontem Anienis castra haberent. Qui quantum maxima voce potuit, quem nunc, inquit, Roma tor Lib. 7. dec. 1.

tiſſimum virum habet, proceda agedum ad pugnam, vt noſter duc rum euentus oſtendat, vtra gen bello ſit melior. Hunc veluti mo lem ſupernè imminentem, exul tantem, verſicolori veſte, pictiſque & auro celatis refulgentem armis, iuuenis Romanus media ſtatura modicaque in armis ſpecie, quum in certamine excepiſſet, ipſum pri mo congreſſu percuſſit atque pro ſtrauit. Xerxis ætate vir fuit inter Perſas proceriſſimus Artachces, vt cui (quemadmodum affirmat He rodotus) quatuor omnino digiti deeſſent à longitudine quinque re giorum cubitorum. Regius autē cubitus is eſſe dicitur, qui tribus digitis vſitato maior eſt. In India rex Porus quatuor cubitis & pal mo procerus fuiſſe perhibetur: quem (vt tradit Rauiſius) Alexan der Magnus bello vicit. Imperante Auguſto, Puſionem & Secundil lam denos pedes & amplius proce-

ritatis habuisse author est Plinius: quorum reliquiæ in conditorio Salustinianorum hortorum ætate sua asseruabantur. Sub Claudio, procerissimum hominem Cabarram nomine ex Arabia aduectum fuisse idem testatur, nouem pedibus, totidemq́; vncijs, hoc est pollicibus altum. Et Tiberio ab Artabano rege Babylonis missum virum commemorat Iosephus genere Iudęum Eleazarum nomine, statura cubitorum quinque qui propter corporis vastitatem Gigas cognominatus est. Theodosij verò tempore, hominem in Syria extitisse ait Nicephorus, qui in longitudinem cubitorum quinque & vnius palmi excreuerat cuius pedes introrsum vari & intorti, reliquæ corporis magnitudini proportione non responderent. Talem se quoque ætate sua vidisse idem testatur, vt propter insolitam corporis magnitudinem pro monstro lib.12.Eccles. hist. cap 37.

haberetur: quem breuis admodũ statura mulier in lucem protulerat. Sanè Augustinus visa quædam ætate sua hominum corpora testatur, quæ communem ac solitam mensuram exuperarent. Ante paucos annos quàm à Gothis Italia bello vastaretur, conspectam Romæ fæminam fuisse memorat, quæ veluti giganteo corpore existens, cæterorum omnium, atque etiam vtriusque parentis staturam longè excederet. Qua in re admiratione dignum illud est, quòd neuter parens tam proceræ staturæ visus est, quàm longissimi quique tum videri solebant. Ad eam igitur visendã multitudinis infinitæ concursum factum. Guntranno Francorum regi oblatum fuisse virum ex Aimone accepimus, tanta corporis altitudine, vt aliorum mensuram tribus pedibus superaret. Cuius rei etiam mentionem facit Grego. Tur, lib. 7. histo. Fuit ex Helsyngia

De ciuit. d. lib 15. cap. 23. & li. quæst. super Ge.

Hart-

Hartbenus quidam, qui (vt scripsit Saxo Grammaticus) raptas regum filias stupro fœdare gloriæ loco ducebat: illum perimere solitus à quo tali prohiberetur flagitio. Tantam in isto corporis magnitudinē extitisse idem ait, vt nouem cubitos proceritatis eius dimensio impleret,



GIGANTEI GENERIS *homines nostræ ætatis*.

CAP. VI.

SEd neque nostra hęc ætas suis Gigātibus caruit. habuit.n. ager Burdegalensis, qui in Aquitania est, mira corporis magnitudine hominem, quem eam ob causam Burdegalensem Cigātem cognominarunt. Ibi rex Frāciscus huius nominis primus quum for-

sè ageret, visam illius corporis molem admiratus, hominem ex numero custodũ suorum esse iussit. At iste cum obscuro ac rustico loco natus, semper ruri habitasset: aulicam vitam fastidiens, paucos post dies ex aula tãquam ex vinculis euolauit. hunc se tum inibi vidisse testatus est vir quidam probus ac fide dignus: tantã inquiens, hominis altitudinem fuisse, vt inter eius crura quilibet recto corpore transire potuisset. Insolitæ etiãnum proceritatis homo visus est Lutetię, anno M.C.L X X I. ad quẽ spectãdum innumera plebis multitudo confluxit. Hic quũ se in hospitio contineret, neminem ad cõspiciendum se nisi pretio admittebat. Intromissi assidẽtem in hemyciclo Gigãtem magno cum stupore contuebantur, magisque stupebant, cùm è sella surgentem ipsum cernerent. Tum enim erectus cœnaculi laquear vertice attingebat.

Polo-

olonum aut Trāſsyluanum eum
lle dictitabant. Tam vaſti corpo-
is homo, vxorem habebat corpo-
e quidem prælargo ac craſſo, ſed
reui ſtatura: ex qua nihilominus
liolum ſuſceperat, Gigantis futu
i ſpeciem pręſe ferētem. Etiam in
lis regionibus, quæ centeſimo ab
inc anno, aut circiter, (nunquam
ntea viſæ nec cognitæ) repertæ
unt, multos Giganteos homines.
ideri produ͂t Hiſtorici omnes re-
entiores. Ex quibus qui Antarcti-
o propinqui ſunt, decem & duo.
ecim pedum altitudinem habere
eruntur. In ea quoque quæ à ve-
eribus Taprobana inſula dicta eſt, Gen. 18.
roceri ad modum eſſe homines
nemorantur. Atque iſtud cum eo
onſentire videtur, quod ex Dio-
loro Siculo protulimus ſuprà ini-
io cap. 5.

*GIGANTEI ROBO-
ris viri.*

CAP. VII.

Iud.14.& suquen.

ADmirandæ prorſus in eo vires fuêre, q̃ catulũ leonis rugientem, ſibiq́; occurrentem, non ſecus ac hædum diſcerpſit: qui triginta viros ſemel, poſtea mille, nullis aliis armis, quã aſini maxilla munitus percuſſit, quique portę vrbis fores cum duobus poſtibus & vecte arreptas, humerisque impoſitas in montem trãſtulit: quem nulli funes, nulla vincula conſtrictum tenere poterãt: qui denique medias templi complexus columnas, quibus tota domus nitebatur, ita ſubtraxit, vt his ſummotis atq; diuulſis tectum cum ingenti hominum ruina qui ei inſederant, cõciderit.

Hic

Hic ille est Samſo, quem Dominus Iſraelitis liberatorē aduerſus Philiſthæos ſuſcitauit. Cuius tam ingēs robur nullis viribus humanis adſcribi debet, ſed Dei Spiritui accepto ferendum eſt.

Etiam admiratione dignum illud eſt, quod à Dauide factum eſſe ipſo referente audimus, ſe nimirū quum patris ſui oues paſceret, leonem & vrſum qui in gregem fortè irruerant, pecudemq́ue arripuerant, apprehendiſſe, eosq́ue erepta oue interfeciſſe: quod magnæ fuit fortitudinis. Cōſimili robore pręditus Benaia vnus ex robuſtiſſimis ducibus qui Dauidi erant, percuſſit duos leones fortiſſimos, & quēdam leonem in medio ciſternæ tēpore niuis, quo ferociores ſunt feræ penuria victus. 1. Sam. 17. 1. Chro. 11.

Iaſchabam autem Benchacmoni qui primarius ducum fuiſſe dicitur ipſi Dauidi, octingentos Philiſthæos inuadere auſus eſt: ex qui-

bus trecētos vna vice occidit. Abischai verò frater Ioabi filius Tzeruiæ, trecentos vibrata hasta confodit. Et Benaia Aegyptium quendā magnitudine spectabilem (cuius mentionem fecimus supra cap. 4.) hastaque munitū baculo inuasit, arreptaque hastam è manu illius, interemit eum hasta ipsius.

De Giganteis autem viribus nō abs re tam multa apud Poetas repeniūtur. Quæ tametsi magna ex parte fabulosa sint: veri tamen nonnihil fabulis locum dedisse certum est. Monticolas fortissimosq; fuisse Gigantes cecinit Homerus: longissimosque Otum & Elphialtem fratres descripsit; longitudine nimirum nouem vlnarum, latitudine cubitorum nouem: quos quū montibus montes imponere (vt ipse fingit) conarētur, Iupiter malè perdidit. Hoc Virgilius hisce versibus ita complexus est:

Ter sunt conati imponere Peliō Ossæ,

Scilicet

Scilicet atque Oſſæ frondoſum inuoluere Olympum.

Ter pater extructos deiecit fulmine montes.

Quæ ſanè nũquam Poeta effudiſſet, niſi quid ſimile accidiſſe quondam intellexiſſet. Ac veriſimile eſt, quod de molitione illa ingenti Babylonicæ turris (cuius ſupra mẽtionem fecimus) fortè audierat, id in ſuam poeſim diſſimulata veritate hoc modo tranſtuliſſe. Vnde etiam tritum illud prouerbiũ natum eſſe haud dubium eſt, quod de Gigantum bello cum diis paſſim celebratur. Qui enim ambitioſiùs ſeſe efferunt, ij cum Deo bellum gerere vidẽtur. qua de cauſa quoque Deus ſuperbis reſiſtere 1.Petr.5. dicitur. Ita igitur finxerunt Poetæ, Gigantes impetum feciſſe in deos, eoſque cœlo detrudere voluiſſe. Sed ridiculum eſt, quod addunt, deos ſic perterritos fuiſſe, vt mu-

tatis formis delituerint. vnde Ouidius,

Emissumq; ima de sedo Typhoea terra
Cœlitibus fecisse metum, cũctosq; dedisse
Terga fugæ, &c.

Quomodo parùm honorificè de suis diis loquuti sunt.

Tantum insuper Tydidi & Aiaci robur idem tribuit, vt alterum Hectoris scutum lapidis molaris ictu fregisse dicat: alterum in Aeneam saxum proiecisse, quod non duo viri quales suæ ætatis erant, sustulissent. Quod etiam imitatus ille sic eleganter expressit:

saxum circumspicit ingen:
Saxum antiquum, ingens, campo qui fortè iacebat.
Limes agro positus, litem vt discerneret aruis.
Vix illud lecti bis sex ceruice subirent.

Qua'i

Qualia nunc hominum producis corpora tellus.
Ille manus raptum tripida torquebat in hoſtem,
Altior inſurgens, & curſu concitus heros.

Iſtud pro veriſimili, ac quod aliquando contingere potuit, aſſumit Auguſtinus de Ciui. Dei libro xv. cap. ix. Hinc non longè abſcedere videtur, quod de Milone Crotoniata peruulgatum eſt. Is enim Olympiæ per ſtadium ingreſſus, humeris ſuſtinuiſſe bouem dicitur: nudæq́ue manus ictu taurum feciſſe victimam. Hunc integrum qua mactauerat die, ſolus (vt ſcripſit Solinus) abſumpſit, nec grauatim. Tantum corporis robur ipſi tandem exitio fuiſſe dicitur. Nam quòd ætate iam ingraueſcente (vt author eſt Gellius) ab athletica deſiiſſet, iterq́; ſolus fortè faceret per quædam Italiæ loca ſylueſtria: in

quercu quid adhuc viribus præstare posset experiri volens, ipsam arborem per medium hiantem magna vi magnoque conatu discidit diuulsitque. Sed quum incautus atque imprudens quasi opere perfecto manus remisisset; tum quercus diducta in pristinum statum subitò rediens, manus intercepit retinuitque atque ita hominem feris lacerandum præbuit. Ex Varrone in relatione prodigiosæ fortitudinis refert Plinius, Tritani gladiatoris cuiusdam filium, Cn. Pompeij militem tantis fuisse viribus, vt prouocatum hostem inermi dextra vicerit, correptumque vno digito in castra Imperatoris sui detulerit. Fuisse quoque quendam ait in prætorio Augusti centurionē, qui vehicula cum culeis onusta donec exinanirentur, sustineret: carpentaque apprehensa vna manu retineret, obnixus contra nitentibus iumentis. Alium etiam,
qui

qui mulum suum tolleret. Alium qui duo centenaria pondera pedibus, totidem manibus, & ducenaria duo humeris ferebat. Athanatum quendam nomine vidisse se idem testatur, quingenario thorace plumbeo indutum, cothurnisque quingentorum pondo calciatum per scenam ingredi.



DE MAXIMINO, FIRmo, aliísque nonnullis robustißimis.

CAP. VIII.

QVid de seniore Maximino Imperatore scriptum reliquerit Iulius Capitolinus prętereundum non est. Eius magnitudinem, inquit, Seuerus Imperator miratus, ipsum cum lixis primùm

compoſuit, ſed fortiſſimis: quorũ tamen ſedecim vno ſudore ille deuicit, ſedecim acceptis pręmiis munuſculis. Volens deinde Seuerus explorare quantus in currendo eſſet, equum admiſit multis circuitionibus. Quumque imperator laboraret, neque ille accurrendo deſiiſſet. ait illi, nunquid delectat luctari poſt curſum? Ille more ſolito ſeptem fortiſſimos vno ſudore vicit: ſolusque omnium à Seuero poſt argẽtea præmia torque aureo donatus eſt: iuſſusque inter ſtipatores corporis ſui in aula conſiſtere. Bibiſſe ſæpe in die vini capitolinam amphoram conſtat: comediſſe & quadraginta libras carnis: vt autem Cordus dicit, etiam ſexaginta. Sudores ſæpe ſuos excipiens in calices vel in vaſculum mittebat, ita vt duos vel tres ſextarios ſui ſudoris oſtenderet. Diu ſub Antonino Caracalla ordines duxit cẽturiatos. Sub Macrino à mi-

litia

ia desiit. Occiso Macrino, ad He
ogabalum venit: quem vbi ille vi-
t infamem principem, à militia
isceßit. Et tamen retentus est per
micos Heliogabali, ne hoc quo-
ue illius famæ accederet, quod vi
um temporis sui fortißimum, &
uem alij Herculem, alij Achilē,
ij Aiacem vocabant, à suo exer-
tu dimoueret. Exercebat cum
nilitibus luctamina, qui nos, se-
tenos iam grandeuus ad terram
rosternens. Erat pollice ita vasto,
t vxoris dextrocherio vteretur
ro anulo Ἀνάξας manibus attra-
ebat. Rhedam onustam solus mo
ebet. Equo si pugnum dedisset,
entes soluebat, si calcem, crura
rangebat. Lapides tophirios seu
ophareos friabat: arbores tene-
iores scindebat. Hunc Alexander
mperator quum omni exercitui
præfecisset, ab eo tamen postea in
Gallia interemptus est. Demum
quū eius sæuitia diutius in impe-

rio tolerari non posset, occisus est vnà cum filio in tentorio quiescẽs. Missis Romã capitibus, calceamẽtum eius inter Aquileiam & Arziam positum est: quod constat pede eius maius fuisse hominis vestigio atque mensura. Hinc illud est adagium, quod de Maximi caliga circunfertur, vulgò dictitatum in homines insulsos & immodicæ proceritatis. Fuit hic magnitudine pedum octo & prope semissis.

Non multo tempore pòst Firmius quidam nomine statura fuit ingenti, prominentibus oculis, villoso atque hispido corpore: quem ideo pleriq; (vt scripsit Vopiscus) Cyclopem vocitabant. Tanti roboris fuisse fertur, vt triarium vinceret. Nam & incudem pectori superpositam (quod mirum est) cõstanter aliis tundentibus pertulit, quum ipse resupinus & curuatus in manus penderet potius, quàm iaceret. Struthionem vno die comedisse,

medisse, situlasque duas mero plenas aliquando exhausisse dicitur: quum à quodam potatore ad bibendum prouocatus fuisset. Fuit hic Aegypitus latro, qui imperiũ aduersus Aurelianum sibi arrogauit: à quo demum ipse superatus est.

Vtilior fuit ex Sclauinis ille, cuius opera Romani cuiusdam proditio Iustiniano Imperatore patefacta est. Hic corporis magnitudine multis præstans ac robore, virque acerrimus ex hostibus aliquẽ comprehẽsum ad Belisarium, Auximum in agro Piceno obsidentẽ, vt abduceret, mittitur. Ille mox abiens antelucano temgore eum in locum euadit, in quo pro pabulo secando quotidie certabatur: ibique humi prostratus, ruboque & senticetis intectus delituit. Tum simul ac dies illuxit, vir Gothus quidam eodem adueniens herbas mox legere, cùm de repẽte Sclaui-

Procop. lib. 2. de bello Gott.

nus exortus barbarum à tergo inuadit, complexusque medium & simul elatum Romanorum in castra mox intulit. Captiuus vt se res habebat percontatus exponit, eiusque testimonio reus proditionis conuincitur.

In Septentrionalibus terris tantæ magnitudinis saxa veterum bustis ac specubus affixa conspici testatur Olaus magnus Gothus, vt non nisi Gigantum opera atque vi extructa fuisse appareāt. Obeliscos præterea seu sublimia saxa apud Ostrogothos & Vestrogothos in biuiis, seu triuiis, non aliter quàm viribus Gigantum ac pugilum erecta esse: quæ operis mole spectantium animos in admirationem sui rapiāt. Regiones insuper extremas septentrionis adeo euidentia Gigantum monimēta inspectoribus vbique exhibere, vt fidem faciant, tam sublimem saxorum molem, tamque immanem collium cōge-

em,nullo naturę artificio,ſed mi
ndis omnino hominum viribus
iſſe congeſtam & abſolutam. Vi-
os aliquot recentiore memoria
iſſe idē cōmemorat,quorū quiſ-
ue ſubleuatum in humeros ſe-
uum, vel bouem maximum fer-
umque vas ſexcentarum, octin-
entarum,aut etiam mille librarū
l plura ſtadia portaret. Denique
ſum quendam affirmat, qui ar-
atum equitem ſubitò obuiū ma
na vi in terram proiiceret. Alium
erò quempiam tam vaſto ac ro-
uſto fuiſſe corpore,vt aurum cen
um & viginti librarum collo ap-
enſum gereret.

Anno ab hinc fermè ducenteſi-
no aut plus extitit quidam(autho
 Froſſardo) nomine Ernauto
urgus Hiſpanus cognominatus,
omo procerus, corporis viribus
a firmis,vt neminē in pugna per-
uteret,quem non humi proſter-
eret.Parem robore in tota Vaſco

nia videre non contigit. Qua de causa quoque Foxẽsis comes eum sibi veluti socium asciuerat. Hic festo die quo Christi natale celebratur, quum à prãdio Comes in porticum quandã conscendisset (gradibus autem quatuor & viginti eò ascendebatur) exiguusque pro tẽpore quo cuncta tum frigore rigebant, ignis in foco qui in eo erat, conspiceretur: videns per fenestrã multos in chorte asinos crasso ligno onustos, protinus in eam descendit: maximumque ex his festinanter abreptum, atque in humeros sublatum in porticum portauit, eumque cum ligno mirãtibus cunctis, in ignem coniecit. Atque hæc Frossardus, vir sanè ob summam quam in scribendo sedulitatem ac diligentiam adhibuit, non minimam in Historia laudem adeptus.

In regno Saguenæo occidẽtem versus, ex illis regionibus trãsma-

nis iam dudum repertis, de quibus suprà mentio facta est, tam robustissimos homines esse aiunt, vt quum in eam horam nostrates adiecti fuissent, redeuntesque ad naues incolę humanitatis officio deducerent: si quos fortè ex itinere defessos videbant, eos in humeros sublatos facilè deferebant. Nostris tēporibus ait Martinus Borrhaus, In 2 Sam. 21.
visum saltatorē tradunt, binos in humeris totidem in brachiis, vnū in ceruice ferentem.



DE GIGANTVM reliquiis.

CAP. IX.

HActenus de Gigātibus ipsis, & de Giganteis viribus egimus. Iā sicubi visæ sunt Gigantū reliquiæ, attendamus. Quæ

profecto maiorem nobis delecta-
tionem parient, quam quæ vel e
asinis, vel muribus imperita pleb
religionis nomine suspicit, exo
sculatur ac colit. Cuiusmodi plu-
ribus in locis in Gallia in quorun
dam templorum euersione reper-
tæ sunt. Nam & Viennæ recondi-
tus exigui muris σκελετὸς inuentu
est, quem antea religiosissimè asse
uatum imprudentes venerabar-
tur. Agedum igitur, referamus ea
de quibus ille sic cecinit:

Aut grauibus rastris galeas pul-
sabit inanes:
Grandiaq; effoßis mirabitur oss
sepulchris.

lib. 1. Hist. Quod contigisse quondam The
geæ cuidam fabro ferrario narra
Herodotus. Qui cum puteum ir
chorte sua facere vellet, incidit ir
sepulchrum septem cubitorum.
Quumque credere nullo modo
posset, fuisse maiores olim, quam
tunc erant homines: nudatum ta-
men

næ vndiquaque mortuum, æqua-
i longitudine atq; sepulchrum i-
pse mensus est. Orestem hunc esse-
apud veteres obtinuit fama. Post
Xerxis in Asiam è Græcia reditũ,
cæso Mardonij à Græcis exercitu,
duce Pausania. quum mortuorum
ossa carne nudata vnum in locum
Platæenses comportarent, quin-
que cubitorum viri cuiusdam Per-
sæ ossa inuenta esse idem alibi tra-
dit.

Sed dubiæ fortassis fidei autho-
rem in medium adductum clami-
tabunt quidam, apud quem innu-
merabiles fabulas esse ait Cicero li
bro 1. de finib. quamquam tamen
eundem patrem historiæ ibidem
appellat. Hominem fabulatorem
Gellius vocat mẽtientiũ principẽ
Plinius, eumq́ue etiam mendacij
insimulat Iuuenalis Saty. 10. & Io-
sephus de antiquitate Iudæorum
contra Apionem Alex. quorum o-
pinionem sequutus est etiã Eras-

mus de vita Hieronymi. Quam verò rectè, ipsi viderint. Ego sanè existimo, istos omnes ita de Herodoto temerè nulloque adhibito iudicio loquutos, in eumque iniuriosos fuisse. Longè aliter de illius historia sentit grauissimus author
In Solone. Plutarchus, quã & celebrem & receptam & approbatã esse ait à tot & tam idoneis testibus, vt eam nec reiicere nec damnare velit. Equidem multa temerè improbari solent, quæ demum admittenda esse res ipsa ostendit. Hoc vel ex Solino liquet, qui quum priscorũ molem ex Orestis ossibus Thegæ inuentis testatam velit, subiicit etiã, Bello Cretico quum elata flumina suo impetu terras rupissẽt, post discessum fluctuũ inter plurima humi dissidia humanum cadauer repertum cubitorum trium atq; triginta. Cuius inspectandi cupidine Lucium Flacum legatum, Metellum etiam ipsum impendio admodum

dum captos, miraculo quod auditu respuerant, oculis potitos. De Macedonia mentionem faciens, apud Flegram ait, si quando vt accidit, nymbis torrentes excitantur, & aucta aquarum pondera ruptis obicibus valentiùs se in campos ruunt, eluuione ossa etiam nũc ferunt detegi, quæ sunt instar corporis humani: sed modo grandiore: quæ ob enormem magnitudinem monstrosi exortus iactitant extitisse. Hæc Solinus. Credibile est itaque eam quorundam Gigantum regionẽ fuisse, vnde à Poetis Phlegræi fratres dicti sunt, qui in Phlegra Thessaliæ valle cum diis (vt in fabulis est) conflixerunt.

Antiquissima Gigantum cadauera deuorata non esse ait Tertullianus, quorum Crates adhuc viuunt. Quod fidelissimus antiquitatis testis, exempli causa profert, vt aliquid in mortuorum corporibus ad resurrectionis fidẽ sancien- lib. 2. de Resur.

dam remanere oſtendat. Quod dicendi genus etiam ſi pro authoris more obſcurum ac ſpinoſum eſſe videatur: quis tamen ſit verborum ſenſus facilè eſt intelligere. Perinde enim eſt, ac ſi diceret, Gigātum σκελετοὺς adhuc extare, qui fidem faciant, hominum corpora poſt mortem nō penitus aboleri. Quid crates ſignificet, nemo ignorat. Quo nomine μεταφορικῶς vſus eſt ille ad ſignificandam eam oſſium cohærentiam, quæ cratis formam quandam habet. Vbi autem viſæ illæ ſint Gigantum reliquię nō meminit: quādoquidem nulla de his mouebatur controuerſia: res ſatis eo tempore vulgata, de qua nullus ambigebat.

Si qua Plinius & Philoſtratus de Gigātum cadaueribus literis prodiderunt, quiſpiam replicet atque euoluat, is profectò reperiet tam valde miranda, vt pro portentis habēda eſſe cenſeat. Hic enim viſum

ait

ait Gigantis cuiuſdã cadauer, duodecim cubitorum: alius autem viginti duorum. Alius etiam triginta. Ille verò affirmat, quadraginta ſex cubitorum corpus ſtans repertum eſſe in Creta, cùm terræ motu mons quidam diſruptus fuiſſet. Ex Gabinio Romano ſcriptore Strabo refert, in Mauritania apud Tingem Antæi ſepulturam eſſe, cuius corpus cubitorum ſexaginta fuiſſe, author eſt Plutarchus: Ab huius magnitudine non longè diſcrepat, quod in Annalibus pro re certa ſcriptum eſt: ſcilicet in vrbe Roma Pallantis corpus inuentum fuiſſe ea altitudine, quæ vrbis muros excederet, Henrico ſecundo Conradi filio imperante.

P.loſt. in ſuis heroicis,

De ſitu orbis lib. 17.

Fulg. lib. 1. cap. 6.

His annumerare non verebor. (quanquam reclamet Goropius) quę Antuerpiæ in ipſa Curia atq; in marmoreo Coloſſo ſpectantur. Gigantis enim monimenta ea eſſe fama eſt celeberrima. Hic Scaldis

ripam arcemque in paluſtri loco ſitam tenēs, ob omnibus fluuium traiicientibus, aut merces aduehētibus, dimidium bonorū quæ haberent, pro vectigali extorquebat. In quo ſi quid à viatore peccatum eſſe deprehendiſſet, bonis omnibus ablatis, ei alteram manū præcidebat, ipſo demum ſuperato, abſciſſa quoque fuit eius manus, atque in Scaldim proiecta. Vnde loco nomē inditum Hantvverpum, id eſt, manus proiectio. Hinc etiā manuum amputatarum inſignia. Sed commentitia eſſe hæc omnia clamat Goropius, vel ex eo quòd Iulium Cæſarem nonnulli Hiſtoriam hanc commemorātes filium cuiuſdam regis Arcadiæ eſſe dicāt. Qua in re ſi vulgus imperitum (vt in multis aliis) errat, non protinus efficitur, falſam eſſe totam hanc hiſtoriam. Quod autem ex vno dente vndeuiginti cubitorum & dimidiati altitudinem hominis à ſe

collectam

collectam rem absurdam atq; incredibilem esse ait, in eo proculdubio fallitur. Nam & maiorem magnitudinem multorum testimonio repertam fuisse ex superioribus, atque iis quæ proximè subiicientur, liquido constat. Num igitur posthabitis tot probatis authoribus vni Goropio credendum nobis erit? An quæ nostra etiam ætate re ipsa cõperta sunt, inficiari audebit? Id enim perinde esset, ac si nobis oculos eruere, mentem eripere vellet. Neque ex eo quod de elephantinis ossibus apud Bruxellanos repertis profert, cõsequitur, Antuerpiana illa ossa elephantis esse, quemadmodum ipse putat. Nõ enim eadem sunt hominis & beluæ ossa, vt discerni inter se minimè possint. Eat nunc noster hic γιγαντόμαχος, victumq; se in hoc certamine, non quidem à Gigante, sed vel ab homuncione nouerit.



MIRABILE GIGANTIS corpus in Sicilia repertum.

CAP. X.

De Genealogia Deorum lib. 4. ca. 68.

HIstoriã memoratu dignã scripsit Bocatius, eius rei nimirum. cuius ætate sua plurimi testes fuerunt. In Sicilia, inquit, quum fortè rustici quidam ad iacienda pastoralis domus fundamenta in radicibus mõtis oppido Drepano imminentis non procul ab oppido foderẽt, specus quidam apparuit: in quẽ quum quid intus esset, visuri ipsi introissent: speluncæ altitudinem suspicientes, sedentem ecce in imo hominem vastæ magnitudinis conspexere. Ex quo perterrefacti, repentè ex antro egredientes se in fugam coniecerunt. Nec prius moram fecerunt, quàm Drepanum peruc-

peruenissent, occurrentibus quid viderant nuntiantes. Mirabundi ciues cōfestim se ad visendam rem tantam parant. Facibus igitur accensis, armisque sumptis non secus ac in hostem procedentes, omnes ex oppido quum exiissent, plus trecenti in specum ingressi sunt. Ibi quum constitissent attoniti, tandem qui propius accesserant, viuum non esse hominem vident. Sedentem verò sinistra manu fustem tenentem contuentur. Fustis autem tanta altitudine atque crassitudine visus est, vt quantumlibet grandis nauis malum excederet. Hunc vnus ex illis quum porrecta manu tetigisset, solutus illico totus in puluerem concidit: præter plumbum fusti infusum quod à terra ad manum vsque porrectum molem brachij sustinens integrum permansit: Cuius mille & quingentarum librarum pōdus inuentum est. Demum sedentis il-

lius hominis tacta superficies, quę nondum vlla ex parte corrosa aut imminuta fuerat, mox cum toto decidit, totumque ferè in cinerem versum visum est. Quem quũ nõnulli manibus contrectarent, reperti sunt tres dentes magnitudine incredibili, pondere vnciarum centum, quos filo ferreo appensos ad memoriam sempiternam comperti Gigantis in templo suo Drepanenses collocarunt. Anterior insuper cranij pars adhuc firmissima inuenta est, plurium frumenti modiorum capax. Cruris denique os visum est, quod tametsi aliqua ex parte nimia vetustate consumptum esset: suis tamen inspectoribus hanc præbuit cõiecturam, hominis altitudinem ducentorum fuisse cubitorum, vel amplius. hęc ille. Cuius si verba singula non retulerim, me tamen rei summam complexum fuisse arbitror. Atque hinc coniicere licet, fabulosa prorsus

ſus non eſſe, quæ tot ſcriptores, & poetæ & hiſtorici de Cyclopib. Siciliæ tradiderunt. Nam quod in ea regione quidam extiterunt (vt cōſtat) ſtupendæ molis homines, multis argumētum ſcribendi præbuit, Siciliam Cyclopum patriam fuiſſe. Vnde etiam manaſſe haud dubium eſt, quod de AEtna hunc in modum ſcripſit Ouidius:

Vidimus Aetnæa cælum ſplendeſcere flamma,
Suppoſitus monti quam vomit ore Gigas.

Iſtud etiam Solinus de Sicilia ſcribens retulit, Antrum in ea eſſe immane virentibus introrſum lucis pendentibus: in cuius imo quum alter ſpecus ingens pateat, in quo ferunt Iouis eſſe fanum: in eius etiam intimo receſſu Typhonis Gigantis cubile poſitum ab accolis creditur. Hunc Ouidius lib.v. Metamorph. & Strabo lib. xiij. Pindarum ſequuti ſub Aetna monte ſepultum volunt.

Enne.1. Scripſit autem Sabellicus ſibi narratum fuiſſe à quodam hoſpite ſuo, homine haud vulgari fide, diu in terra Græciæ verſato, in Creta inſula, ea parte qua ad meridiẽ obuerſa eſt, operarios quoſdam indigenas immanes arborum trũcos ad naualem fabricam radicitus molientes, in hominum caput dolij inſtar incidiſſe: idque imperiti homines quum temerè attrectaſſent, confeſtim putri vetuſtate ſolutum. Quum igitur tantæ proceritatis fuerint nonnulli Gigantes, ſicuti paulò antè vidimus: ex quorum numero fortaſſis fuit Atlas magnitudine corporis inter alios celebris: ex eo ſumpta videtur occaſio dicendi hyperbolicè, eum ſuis humeris cœlũ ſuſtinere: quod Poetarum carminibus poſtea celebratum eſt.

DE



DE GIGANTVM RELIquiis in Gallia repertis, etiam nostra ætate.

CAP. XI.

QVod vulgatum satis, visumq; à plurimis est, primum cõmemorabo Effigiem scilicet Gigãtis cuiusdam apud Delphinates tanta longitudine porrectam, vt quindecim cubitos continens, cranij crassitudinem habeat duorum cubitorum, humerorum latitudine cubitorum ferè quatuor. Hanc ego aspexi figuram bellicis illis tumultibus Galliam secundò affligantibus, cùm turbulentissimæ illius tempestatis repentino turbine ac flammis conflagrata Valentiæ impura illa idolorum tecta concidissent: cuncta-

que monachorum latibula excisa & euersa omnibus paterent. Tum enim in magnas Dominicanorũ (quos vocant) ædium ruinas ingressus, illam adhuc integram in pariete spectaui. Locus antea in imis ædibus porticus erat, vbi boni illi fraterculi securè ludẽtes sub tecto desides atque otiosi, aliorum procellas intuebantur Tantæ dimensionis ossa (ne quis figuram istam animi causa effictam putet) reperta olim fuisse cõstat, eorumque magnitudinem ita delineatã, vt posterius rei memoria commẽdaretur. Cui suffragatur, quod Ioannes Marius in iis libris quos de Galliarum illustrationibus inscripsit, hunc in modum tradidit: Repertum scilicet fuisse trãs Rhodanum Gigantis cuiusdam sepulchrum, cuius ossa ex suprà dicta illa effigie duorum & viginti pedũ altitudinem habuisse liquet. Qua de re apud Ludouicum regis Caroli

roli eius nominis ſeptimi filium, ea tempeſtate Valentiæ commorantem, teſtatum eſſe idem affirmat, aliquotque ex iis oſſibus in Biturigenſi ſacello aſſeruari. Huc ſpectat quod Calamæus in ſuis de Biturigibus Commentariis ſcriptum reliquit. Deſcribens enim antiquam illam & celeberrimam Biturigum metropolim Auguſtū quoddam regiumque ſacellum in ea eſſe ait, in cuius porticu quum ex vna parte ducis (cuius auſpiciis illud extructum eſt) regumq; ac reginarum parentum ſuorum atque progenitorum eleganti admodum ſpecie ſimulachra ſpectētur: ex altera rari cuiuſdam animalis effigies, & grandia quædam oſſa intueri licet: mirandi nimirum illius Gigantis Briati nomine, qui dum viueret, quindecim cubitorum altitudinem habuit. Cuius ſepulchrum in Cruſſoliæ Baroniæ (quam vocant) agro re-

pertum est, ad riuulum quendam prope Samperæum oppidulum, qua parte Valentiam spectat, anno M. CCCCLVI. regnante Carolo septimo: à quo Ludouicus filius tum dissidens Delphinatum tenebat. hoc se ideo annotasse subiicit Calamæus, vt vulgi errorem tollat, quod Gigantem putat apud Bituriges repertum fuisse, ac proinde eum Biturigensem Gigantem appellat, quod planè commentitium est. De hoc etiam testatur
Lib. 1. cap. 6. Fulgosius inquiens, Regnante Carolo septimo Gallorum rege, in montana Narbonensis Galliæ parte, iuxta Valentiam vrbem, Rhodanus sepulchrum detexit, cuius magnitudo permultos ad eam rē visendam pertraxit. Aperto enim tumulo inuenta eo sunt hominis ossa, cuius dimēsio triginta pedes impleuit. Nos quoque cùm eò iter faceremus, sepulchrum vidimus, & ossium aliquam partē, quæ ab

ab accolis tanquam res mira asseruatur. hæc ille:

Porrò enarrandum nobis hic est, quon à multis studiosè specta tum, cum superioribus admiratione æquari potest. Ante secundos Gallicos illos tumultus quorum superius memini, quum fortè in agro Baroniæ antea, nunc comitatus Crussolij, de permutãda domo cũ agro ageretur inter duos agricolas, agerque æstimaretur ab arbitris, visa sunt in decliui ossa quædam, quæ temporis progressu pluuialis aqua ex alto decurrens terra summota denudauerat. Hæc quum rustici curiosè effodissent, eorum magnitudinem admirati, frusta quædam inde in propinquũ oppidulum Soionum lingua vernacula vocitatum, deportarunt. Ibi tum Valentiæ agens, illa ego vidi ossa prægrandia (cruris ne, an femoris, an brachi essent, ignoro) ex quibus vnum esse crassitudine triũ

palmorum is comperiet, qui ex ſuperficie ipſum metietur. Miræ magnitudinis dentem multi ibidem conſpeximus, longitudine vnius pedis, põdere librarum octo. Multo autem oblongior, quàm craſſus viſus eſt: radicesque aliquot habere, quibus gingiuæ inhærebat. Viſa eſt inſuper ea pars, qua cibus terebatur, aliquantulum concaua, latitudine digitorum quatuor. Hic veluti pro miraculo ad illuſtrem quendam magni nominis virum allatus eſt. Alius haud diſſimilis, in propinquo caſtello cui Charmes nomen eſt, aſſeruatur. Longitudinem loci vnde hæc oſſa eruta fuêre, paſſuum nouem pedibus ipſe menſus eſt. Regio montoſa eſt, in qua veriſimile eſt, hoſce Gigantes olim imperium tenuiſſe. Enim uero alia quædam non procul oſſa prægrandia aliquo tempore pòſt inuenta ſunt, prioribus non minora. Nec dubium, quin plura inueniri

niri poſſent, ſi in effodiendo amplius laboraretur. Vtinam accuratius oſſa illa effoſſa, & quæ deſunt, inuenta fuiſſent Præclarum enim penitusque mirandum fuiſſet ſpectaculum, ſi eo modo quo corpora humata fuerāt, oſſa ſuſtuliſſent. At euenire iſtud non potuit: quandoquidem maxima pars oſſium nimia vetuſtate conſumpta ſunt. Quæ duriora erant, cuiuſmodi ſunt dentes aliquot, hactenus remanſerunt. Quando autem oſſa integra inuenire non contigit, age nunc, experiamur, num ἐκ τῆς ἀναλογίας habita cuiuſdam partis ratione totius magnitudo percipi poſſit. Tricenos binos dentes viris eſſe tradit Plinius. Quem numerum ſi quis Gigantibus tribuit, ea magnitudine ſeruata, quæ in ipſorum dentibus perſpicitur: is certè comperiet: illius caput cuius tam magni extiterunt dentes, craſſitudine fuiſſe trium cubitorum

&amplius: totum verò corpus cubitorum viginti longitudinem superasse. Verùm quia duo tantùm dentes reperti sunt, atque ex eo apparet reliquos vetustate consumptos minores forsitan fuisse: nonnihil ex tanta magnitudine detrahendum esset. Etiam ante multos annos, in eo monte qui Tenno oppidulo imminet, Turnoni Rhodano influente opposito, ossa nõnulla reperta fuêre, quę quum Gigantei generis reliquias esse proderẽt, magnam cernentibus admirationem mouerunt.

Sed quoniam de Gigantum dẽtibus quædam cõmemorata sunt, subiiciemus etiam Augustini super hac re testimonium. Is secum aliquod aliis in Vticẽsi littore molarem hominis dentem vidisse meminit, tantæ magnitudinis, vt consciſſus ac diſſectus ætatis suæ hominum centum dentes efficere possset. Non referam, quod Viues vir alioqui

De ciuit. Dei li. 15. cap. 9.

alioqui ingenio præstanti magnaque eruditione, superstitione tamen imbutus, in hunc Augustini locum protulit: sibi cùm religionis ergo D. Christophorum salutatum isset, ostensum fuisse molarem dentem pugno maiorem, quem diui illius esse dicerent. Enimuero quum commentitia illa omnia sint, quæ de illo narrari solent, quippe qui nunquam extiterit: nemo non videt, quàm modica fides huic narrátioni tribuenda sit. Si verũ dentem illum esse constat, non alius, quàm vetusti cuiusdam Gigantis esse credibile est.

Nec solùm in terris, sed etiam in sublimi aeris regione Gigantes, certè Gigantum simulachra visa quondam fuisse perhibent. Sub Tito namque multas Gigantum imagines in aere, in mõte Vesuuio, in Campania, regioneq́ue finitima, interdiu noctuq́; magno ac stupendo prodigio apparuisse au-

thoreſt Dion. Nam ſequuta eſt ſiccitas maxima, adeò vt tota ea planities feruida eſſet. Sequuti etiam ſunt graues terræ motus: auditi ſonitus ſubterranei, tanquam tonitrua. Tũ mare fremere, cœlum reſonare. Magna deinde ignis & fumi copia omnem aerem ſolemque obſcurauit. Conſpectæ in fumo multæ Gigantum formæ, clangorque tubarum auditus. Tã formidabili rerum aſpectu mundi exitium eſſe rati, properare alij ex ædibus in vias, alij de viis in ædes confugere, atque è mari in continentem, & ex continenti in mare ſe recipere. Quumque & mare, & terra & aer cineribus complerentur, factum eſt, vt volucres, piſces pecudes, hominesque innumeri interierint. Nam & duæ vrbes populo ſedẽte in theatro penitus obruptæ ſunt.

VNDE



VNDE EST, QVOD GIGANTES *desierint. Vbi etiam de pusillis hominibus obiter agitur.*

CAP. XII.

IAM verò neminem istud moueat: quod vel à multis seculis Gigantes desierint, quantos primis illis temporibus fuisse accepimus. Etenim quum vanitati res creatæ subiectæ sint, eas proculdubio in dies infirmari, minui & decrescere necesse est. Senuisse iam mundum, eiusque vires in singulos annos deficere, atque in deterius quæ sub cœlo posita sunt, prolabi, plus duobus annorum millibus antè literis proditum est. Hoc mundus ipse loquitur, ait Cyprianus, & occasum interitumque sui multis iam rebus dilapsis ostē-

dit. Minuitur equidem, quicquid fini proximum est, vergitque in extrema: non secus atque sol, quem minus igneos minusque splendidos cùm occidit, iacere radios conspicimus. Hinc est, quòd quum olim octingentorum & nongentorum vita hominum lõginqua excederet, vix nunc possit centesimũ annum attingere. Nec quisquam obiiciat priscorum annos nostris breuiores fuisse, vt annorum breuitate tantam pluralitatem effectam velit. Quum enim Moses de sole & luna in Genesi loquens disertè exprimat, ea in hunc finem à Deo creata fuisse, vt dies & tempora & annos signent atque distinguant: perspicuum fit, non aliam apud veteres illos annorum rationem fuisse, quàm apud nos. Qua in sententia etiam Augustinus est lib. de Ciuita Dei 15. cap. 14. Quod igitur humanæ ætati accidisse videmus, idem planè de statura sentiẽdum

dum eſt. Cuius rei indicium proferre licet ex Cæſaris Commentariis, vbi Romanos ait, ob ſtaturæ breuitatem à Gallis deriſos fuiſſe. Et Gothos ob inſignem corporũ magnitudinem admiratum Iuſtinianum Imperat. teſtatur Procopius. Ex quibus facilè intelligi poteſt, quum iſtiuſmodi ſtaturæ inæqualitas vix vſquam hodie in tota Europa appareat: ingentem illam corporum molem quæ in quibuſdam gentibus eminebat, paulatim temporis decurſu imminutã fuiſſe. Nec dubium, quin hominum corpora vbique multò breuiora ſint noſtris hiſce temporib. quàm quondam fuerint. Quod non modò Plinius apertè confirmat: verumetiam Homerum ſuo carmine interdum conqueſtum commemorat, minora ætatis ſuæ corpora, quam priſcorum videri. Qua de re etiam apud Eſdram ſcriptum iſtud legimus, Ideo breuioris ſta-

lib. 7. nat. hiſt. c. 16.

lib. 4. c. 5.

turæ hodie, quàm olim nasci homines, quòd iam creaturæ consenuerint, iuuentutisque vires excesserint: nõ secus ac mulier, quæ quum in ætate florenti validos partus ediderit, instante postea senectute non nisi debiles atque infirmos parit. Quod autem vniuerso hominum generi accidisse apparet, id Gigãtibus euenisse haud dubium est. In quorum procreatione quum aliquandiu natura lusisse quodammodo videatur, iustam in eis hominum mensuram longè exuperant: postea quasi tam immanium corporum pertæsa ferendis huiuscemodi monstris abstinuisse. Qua in re conspicuam nobis esse voluit Dominus rerum omnium opifex, admirandam illam & πολυποίκιλον σοφίαν, qua cuncta non minus variè, quàm aptè, congruẽter & ornatè regit ac moderatur. In tanta rerum varietate & ornatu quanta in eo virtus, quanta rerum agenda-

agendarum facultas insit, palàm ostenditur. Qua de causa pusillos quoque homines, qui pusiones & nani vocātur, interdū nasci voluit.

De Pygmæis, fabulosa quidem esse omnia quæ de iis narrari solēt, aliquādo existimaui: verū quū videā, non vnū aut alterū, sed cōplures classicos & ꝓbatos authores de his homūculis multa in candē ferè sententiam tradidisse; eò adducor, vt Pygmæos fuisse inficiari nō ausim. Primus omniū Homerus eorū mētionem faciens ipsos à gruibus infestari ait 3. Iliad. Ex Ctesiæ excerptis audimus, mediā Indiā nigros habuisse viros nomine Pygmæos, eosq; simos ac deformes valdeq; paruos, adeò vt bona pars medij cubiti magnitudinē ꝗ autē eorū maximus, duorū cubitorū altitudinē nō superaret. capillū vsque ad genua. & infra etiā demissū habuisse, barbā quoq; quibusuis aliis hominibus ꝓmissiorē aluisse. Exorta illis promissa barba nullo tū vesti-

tu vti, sed capillos à tergo quidem multò infra genua demittere, barbam autē antè ad pedes vsq; protrahere, iisque vestimenti loco vsos. Istorum homulorum tria millia in comitatu regis Indorū fuisse, quòd sagitarij peritissimi essent.
De histo. animal lib. 8. cap. 12. Aristoteles de gruibus loquens, ex Scythicis cāpis ad paludes in Aegypto superiores, vnde Nilus pfluit, eas venire tradit, eoque in loco cū Pygmæis pugnare. Quod fabulosum non esse disertè pronūtiat inquiens, reuera genus esse tum hominum, tum etiam equorum pusillum, eosque in cauernis degere, atque inde Troglodytas etiā denominatos. Populos in extrema parte mōtium Indiæ habitare scripsit
lib. 7. c. 2. Plinius, q ternos dodrātes nō excedit: vnde & Pygmęos dictos, quasi πηχυαίους, id est, cubitales. Alibi in Thracia quoq; Pygmæos fuisse
lib. 4. ca. 11. idē prodidit, vrbēq; Gerancā tenuisse, donec à gruibus fugati, nouas sibi sedes quærere coacti fuerint

sint. Quò spectasse videtur Iuuenalis his versibus:

Ad subitas Thracum volucres nubē'q; sonorā,
Pygmaeus paruis currit bellator in armis.
Mox impar hosti, raptusque per aera curuis
Vnguib à saeua fertur grue. Si videas hoc
Gentib. in nostris, risu quatiere: sed illic
Quanquā eadē assiduè spectentur praelia, ridet
Nemo, vbi tota cohors pede non est altior vno.

Tametsi autem Augustinus alicubi quid de hoc hominum genere verè affirmet non habeat, ait tamē lib. 16. de Ciuit. Dei Pygmaeos pugnare cū gruibus, sed vinci ab eis; famamq; esse insidere arietum caprarumque dorsis, ac sagittis armatos; verisque tempore vniuerso agmine ad mare descendere, & oua pullosque earum alitum cōsumere: ternis eam expeditionem mensibus cōfici, aliter futuris gregibus non resisti. Casas eorum luto, pennisque & ouorū putaminibus construi solitas. Hactenus de Pygmęis.

Etiā pusillos homines & pusiones aliquando extitisse, nostrisque temporibus interdū videri palam est. Nam & M. Antonius Sisyphū

pumilionem habuisse fertur intra bipedalē staturam, ingenio tamen valentem. Sub Theodosio etiã (si Nicephoro credimus) visum fuisse quendam in Aegypto relatũ est, infra incredibilem staturæ breuitatem consistentē, adeò vt perdice maior non videretur. Cui nihilominus (quod mirabile dictu est) prudētia inerat, vox etiam à musis non abhorrens, sermo denique generosæ mentis specimen præbens. vixisse fertur annos circiter viginti. Huc accedit, quod Martin. Borrhaus refert his verbis: Nostra ætate ferũt, inquit, perfecta ætate fuisse virum cubitali longitudine, cauda circunductum.

li. 12. Ecclesi. hist. cap. 37.

in 2. Sam. 21.

Ego quum puer essem, memini me vidisse Lugduni pusiões duos breuissimæ staturæ, quæ cubitalē non superaret. Quorũ alter barbã habens valde promissam atq; subrufam, forma satis eleganti conspiciebatur. Togatus iste erat, galerũ habens eiusmodi, quo pontificius

clerus

clerus (quē vocant) vti consueuit. Ac ne quid ad ornatū deesset, appositum humeris erat doctoratus insigne, quod vulgò cornetam dicimus. Alter eo erat habitu, qui nobilibus nostris proprius peculiarisque esse solet. Hos ita quum per ridiculum atq; animi causa induissent, quidam in vlnis suis nō secus atque infantes gestabant. Plura de homuncionibus & nanis exempla referri possent, nisi res ipsa satis vulgata cuique pateret.

Sub Imperio Manuelis fuit quidā nomine Camatherus Logotheta, vir fortis, proceræ staturæ & heroici corporis: qui viridibus fabis impēsè delectabatur: corūq; tota arua cō sumebat. In castris quū aliquando trans flumen fabis consitū agellū cōspexisset, statim exutis vestibus tranauit: nec maximā deuorasse partē contentus: reliquias in fasciculos collectas, & humeris impositas abstulit: & in tabernaculo suo sedēs suauiter absumpsit, quasi

longo tēpore ieiunasset. Ingentem quoq; patinā (vt cū Imperatore pepigerat) aqua repletā, quæ ad duos choas capiebat. instar bouis inclinatus exhausit, semel tātū recepto inter potandū spiritu. Author est Nicetas Choniates in Annalibus.

In expeditione Friderici Barbarossæ in Palæstinā ferunt Alemannū quendā (ait idē Nicetas) corpore ingenti, & robore inuicto prædi tū, populares suos lōgo interuallo sequutū pedetētim incessisse, equū trahentē ex itinere fatigatū. Ismaelitas verò circiter 50. viros fortissimos sui stationib. euagatos, illum vndiq; sagittis petiisse, Cæterū eo lato scuto tectū, & firmitate thoracis fretū alacrem percepisse, nihilo magis Barbarorū telis commotū q̃ si rupes esset. Vnū autē cæteris iactātiorem, abiecto inutili arcu, lōgum ensem strinxisse, & concitato equo cōminus illū, vt promontorium, aut æreā columnā gladio percussisse. Alemannum verò gladio

ambo

ambos anteriores pedes hostilis equi tãquã fœnũ amputasse, q quũ in genua ꝓlapsus nihilominus sessorem in sella sustineret, ensem in mediũ Turcæ caput ita impegisse, vt equite in duas partes dissecto etiam iumẽti tergum, sella quoque dissecta vulneraret. Eo spectaculo Turcas attonitos, non amplius esse ausos vnum eum lacessere, qui nihil accelerato itinere pedetẽtim vesperi in castra suorum peruenit.

Vt autẽ absoluamus, verisimile est, voluisse Deum quosdã interdũ ingenti admodũ corporis magnitudine extare, vt vel illud nobis queadmodũ docet Augustinus) indicio sit, nec staturę proceritatem, nec vllas corporis vires plurimũ illi placere, quibus quidẽ impij plerunque pollent, Corpore fortis est taurus, fortior leo. Elephantus autem omniũ terrestriũ maximũ est animal. Quæ igitur hominũ præstãtia, si brutis animãtib. corporis viribus pares sunt? Sæpius Gigan-

tes se Dei populo formidabiles præbuerũt. At Deus penes quẽ virtus omnis est ac fortitudo, tã immaniũ stupendorũq; hostiũ conatu omnes cõtriuit, ipsosq; aut fudit, aut penitus cõfecit. Quę cũ ita sint, non est quòd vires atq; impetus Gigantũ huius seculi pertimescãs filij Dei: eorũ inquã, qui si non corporis mole, animo tamẽ, ausisque nefandis, immani perfidia ac crudelitate sæuissimi Gigãtes; foedissimi Cyclopes censeri possunt. quippe qui verũ Dei cultũ penitus euertere eius verbi viuificã lucem extinguere, piosq; omnes de medio tollere conãtur, quod nihil aliud est, quàm cũ Deo pugnare. Tametsi enim humano robore istis lõgè inferiores sint: inuicta tamẽ omnipotẽtis Dei fortitudine fulti, firmissimoq; illi' stipati pręsidio, beatã adepti victoriã beluas istas tãdẽ humi deiectas ac prostratas, meritasq; luẽtes poenas læti despicient.

FINIS.